De Nabuthae (Latin)

Ambrose of Milan (c. AD 339–397)

SermonIndex.net / Church Fathers

Sections 1 to 40

Nabuthae historia tempore uetus est, usu cottidiana. quia enim diuitum non cottidie concupiscit aliena? quia opulentissimorum non exturbare contendit agellulo suo pauperem atque inopem auiti ruris eliminare finibus? quis contentus est suo? cuius non inflammet diuitis animum uicina possessio? non igitur unus Achab natus est, sed quod peius est cottidie Achab nascitur et numquam moritur huic saeculo. si unus occidat, adsurgunt plurimi. plures qui rapiant quam qui amittant. non unus Nabuthae pauper occisus est; cottidie Nabuthae sternitur, cottidie pauper occiditur. hoc metu percitum humanum genus cedit iam suis terris, migrat cum paruulis pauper onustus pignore suo, uxor sequitur inlacrimans, tamquam ad bustum prosequatur maritum. minus tamen deplorat illa, quae deflet suorum funera, quia etsi amisit coniugis praesidium, sepulchrum tenet, etsi filios non tenet, tamen exules non dolet, non ingemit grauiora funeribus tenerae prolis ieiunia.

quousque extenditis, diuites, insanas cupiditates? numquid soli habitabitis super terram? cur eicitis consortem naturae et uindicatis uobis possessionem naturae? in commune omnibus, diuitibus atque pauperibus, terra fundata est: cur uobis ius proprium soli, diuites, adrogatis? nescit natura diuites, quae omnes pauperes generat. neque enim cum uestimentis nascimur, cum auro argentoque generamur. nudos fundit m lucem egentes cibo amictu poculo, nudos recipit terra quos - edidit, nescit fines possessionum sepulchro includere. caespes angustus aeque et pauperi abundat et diuiti et terra, quae uiuentis non cepit affectum, totum iam diuitem capit. nescit ergo natura discernere quando nascimur, nescit quando deficimus. omnes similes creat, omnes similes gremio claudit sepulchri. quis discernat species mortuorum? redoperi terram . et, s) potes, diuitem deprehende. eruderato paulo post tumulum et, si cognoscis, egentem argue nisi forte hoc solo, quod

(plura cum diuite pereunt. sericae uestes et auro intexta uelamina, quibus diuitis corpus ambitur, damna uiuentium, non subsidia defunctorum sunt. unguentum accipis, diues, et faetidus es; perdis alienam gratiam nec adquiris tuam. heredes relinquis, qui litigent. heredibus relinquis depositum magis hereditarium quam commodum uoluntarium, qui id quod relictum est minuere ac uiolare formident. si frugi heredes sunt, custodiunt; si luxuriosi, exhauriunt. itaque aut bonos heredes perpetua condemnas sollicitudine aut malos dimittis, quo tua facta condemnent.

Sed quid arbitraris quod. dum uiuis, abundas omnibus? o diues, nescis quam pauper sis, quam inops tibi ipse uidearis, qui te diuitem dicis. quanto plus habueris. plus requiris et quidquid adquisieris, tamen tibi adhuc indiges. inflammatur lucro auaritia, non restinguitur. quasi gradus quosdam cupiditas habet; quo plures ascenderit eo ad altiora festinat, unde sit grauis ruina lapsuro. tolerabilior tamen iste, cum minus haberet, census sui contemplatione mediocria requirebat; accessione patrimonii accessit cupiditatis augmentum. non uult esse degener uotis, pauper in desideriis. ita duo intolerabilia simul iungit, ut ambitiosam spem diuitis augeat et non deponat mendicitatis affectum. denique docet nos scriptura diuina quam misere egeat, mendicet abiecte.

rex Achab in Istrahel erat et pauper Nabuthae. ille regni opibus adfluebat, iste angusti soli possidebat caespitem. nihil pauper de possessionibus diuitis concupiuit, rex sibi egere uisus est, quia uineam habebat pauper uicinus. quis igitur tibi pauper uidetur? qui contentus est suo an qui concupiscit alienum? alter certe pauper censu uidetur, alter pauper affectu est. affectus diues egere non nouit, census abundans nequit auari pectus explere. ideoque diues cupidus in inuidia possessionis et paupertatis querella est.

Sed iam scripturae uerba consideremus. et factum est inquit post haec uerba. erat uinea Nabuthae Israhelitae in Israhel iuxta domum Achab regis Samariae. et locutus est Achab ad Nabuthae dicens: da mihi uineam tuam, et erit mihi in hortum holerum, quoniam propinquat domui meae, et dabo tibi pro ea aliam uineam. si.uero placuerit tibi, dabo tibi pecuniam pro ista uinea, et erit mihi in hortum holerum. et dixit Nabuthae ad Achab: non fiat hoc a deo, ut dem tibi hereditatem patrum meorum. et turbatus est spiritus eius et dormiuit in lecto suo et uelauit faciem suam et non manducauit panem.

exposuerat supra scriptura diuina quia Helisaeus, cum esset pauper, reliquit boues suos et cucurrit ad Heliam et occidit eos et erogauit populo et adhaesit prophetae. ad condemnationem igitur praemissa sunt diuitis, qui in isto rege describitur, eo quod habens beneficia dei, sicut iste Achab, cui dominus et regnum donauit et pluuiam Heliae uatis oratione concessit, diuina mandata uiolauerit.

audiamus ergo quid dicat. da mihi inquit. quae altera uox egentis est, quae uox alia stipem publicam postulantis nisi da mihi\'? hoc est da mihi, quia egeo. da mihi, quia aliud uiuendi subsidium habere non possum. da mihi, quia non est mihi panis ad uictum, nummus ad potum, sumptus ad alimentum, ad indumentum substantia. da mihi, quia tibi dominus dedit unde largiri debeas, mihi non dedit. da mihi quia, nisi tu dederis, habere non potero. da mihi, quia scriptum est: date elemosynam.\' haec quam abiecta, quam uilia! non habent enim humilitatis affectum, sed cupiditatis incendium. in ipsa autem deiectione quanta inpudentia! da mihi inquit uineam tuam.

conStetur alienam, ut poscat indebitam. et dabo tibi inquit pro ea aliam uineam. diues quod suum est quasi uile fastidit, quod alienum est quasi pretiosissimum concupiscit.

si uero placuerit tibi, dabo tibi pecuniam. cito reprehendit errorem suum pecuniam offerendo pro uinea; nihil enim uult alterum possidere, qui totum desiderat suis possessionibus occupare.

Et erit mihi inquit in hortum holerum. haec erat igitur omnis insania, hic omnis furor, ut spatium uilibus holeribus quaereretur. non tam ergo ipsi cupitis quasi utile possidere, sed alios uultis excludere. maior uobis cura de pauperum spoliis quam de uestris emolumentis est. iniuriam uestram putatis, si quid pauper habeat quod dignum possessione diuitis aestimetur. damnum uestrum creditis quicquid alienum est. quid uos delectant naturae dispendia? uniuersis creatus est mundus, quem pauci diuites uobis defendere conamini. non enim terrena tantum possessio, sed caelum ipsum, aer, mare in usum paucorum diuitum uindicatur. hic aer, quem tu diffusis includis possessionibus, quantos alere populos potest. numquid angeli diuisa caeli spatia habent, ut tu terram positis distinguis terminis?

clamat propheta: uae his qui domum ad domum iungunt et uillam ad uillam et arguit eos inefficacis auaritiae. fugiunt enim cohabitare hominibus et ideo excludunt uicinos; sed fugere non possunt, quia cum hos excluserint, alios rursus inueniunt et, cum illos propulsauerint, ad aliorum necesse est eos uiciniam peruenire; soli enim super terram habitare non possunt. aues se auibus adsociant, denique ingentis plerumque agminis uolatu caelum obtexitur, pecus pecori adiungitur, pisces piscibus, nec damnum ducunt, sed commercium uiuendi, cum plurimum comitatum capessunt et quoddam munimentum solacio frequentioris. societatis adfectant. solus tu, homo, consortem excludis, includis feras, struis habitacula bestiarum, destruis hominum, inducis mare intra praedia tua, ne desint beluae, producis fines terrae, ne possis habere finitimum.

Audiuimus uocem diuitis aliena quaerentis, audiamus uocem pauperis propria uindicantis: non fiat inquit hoc a deo, ut dem tibi hereditatem patrum meorum. quasi quandam contagionem sui pecuniam esse diuitis arbitratur, quasi dicat: pecunia tua tecum sit in perditionem, ego autem hereditatem patrum meorum non possum uendere. habes quod sequaris, diues, si sapias, ut non uendas agrum tuum pro nocte meretricis, non transfundas ius tuum pro sumptu comissationis deliciarumque inpensis, non adiudices domum tuam ad ludum aleae, ne ius hereditariae pietatis amittas.

his auditis turbatus est auari spiritus regis. et dormiuit in lecto suo et uelauit faciem suam et non manducauit panem suum. lugent diuites, si non potuerint aliena diripere; si suis pauper non cesserit facultatibus, uim maeroris tegere non possunt. dormire desiderant, uelant faciem suam, ne quicquam in orbe terrarum alienum uideant, ne quicquam in hoc mundo non esse suum nouerint, ne audiant uicinum iuxta se aliquid possidere. ne audiant pauperem sibi contradicentem: horum sunt animae quibus dicit propheta: mulieres diuites, exsurgite.

Et non manducauit inquit panem suum: quoniam quaerebat alienum; etenim diuites alienum magis panem quam suum manducant, qui rapto uiuunt et rapinis sumptum

exercent suum. aut certe non manducauit panem suum uolens se morte multare, quod ei aliquid negaretur.

compara nunc affectum pauperis. nihil habet et ieiunare uoluntarius nisi deo nescit, ieiunare nisi ex necessitate non nouit. eripitis quidem pauperibus uniuersa, aufertis omnia, nihil relinquitis, poenam tamen pauperum uos potius, diuites, sustinetis. illi ieiunant, si non habeant, uos, cum habetis. a uobis igitur prius poenam exigitis quam pauperibus inrogatis. uos igitur uestro affectu luitis miserae paupertatis aerumnas, et pauperes quidem non habent quo utantur, uos autem nec ipsi utimini nec alios uti sinitis. eruitis aurum de metalli uenis et rursus absconditis.

quantorum uitas in illo infoditis auro! cui illa seruantur, cum legeritis de - auaro diuite: thensauros condit et ignorat cui congregat eos? heres otiosus expectat, heres fastidiosus increpat quod sero moriamini. odit incrementa hereditatis suae, ad damna festinat. quid igitur miserius, quando nec apud illum cui laboratis gratiam derelinquitis? propter illum totis maestam diebus toleratis famem cottidiana mensae uestrae damna metuentes, propter illum diurna adornatis ieiunia.

noui ego diuitem in agrum proficiscentem panes breuiores urbe delatos numerare solere, ut pro numero panis aestimaretur quot dies in agro futurus esset. nolebat obsignatum aperire horreum, ne quid de condito minueretur. panis unus diei deputabatur, qui tenacem satiare uix posset. comperi etiam ueri fide, si quando ei ouum esset adpositum, queri quod pullus esset occisus. hoc ideo scribo, ut cognoscatis uindicem esse dei iustitiam, quae lacrimas pauperum uestro ulciscatur ieiunio.

Quam religiosum esset ieiunium, si sumptum conuiuii tui deputares pauperibus! tolerabilior iam ille diues, cuius de mensa ea quae cadebant pauper Lazarus colligebat saturari cupiens, sed etiam ipsius mensa multorum pauperum constabat sanguine et ipsius pocula multorum quos ad laqueum coegerat rorabant cruorem.

quanti necantur, ut uobis quod delectat paretur! funesta fames uestra, funesta luxuries. ille de summis culminibus ruit, ut frumentis ampla uestris receptacula praepararet. ille de sublimi cacumine altae arboris decidit, dum genera explorat uuarum, quas deferat, quibus digna conuiuio tuo uina fundantur. ille mari mersus est, dum ueretur, ne piscis mensae tuae desit aut ostrea. ille brumali 20 frigore, dum lepores inuestigare aut laqueis studet aues captare, diriguit. ille ante oculos tuos, si quid forte displicuit, uerberatur ad mortem atque ipsas epulas fuso cruore respergit. denique diues erat, qui sibi ad mensam caput prophetae pauperis iussit adferri et aliud unde saltatrici praemium solueret non inuenerat nisi ut pauperem iuberet occidi.

uidi ego pauperem duci, dum cogeretur soluere quod non habebat, trahi ad carcerem, quia uinum deeset ad mensam potentis, deducere in auctionem filios suos, ut ad tempus poenam differre posset. inuentum forte aliquem, qui in illa necessitate subueniret. redit ad hospitium cum suis pauper direpta spectans omnia, nihil sibi ad cibum relictum, ingemiscens filiorum famem, dolens quod eos non potius ei qui posset pascere uendidisset. redit ad con-

silium, uendendi sumit arbitrium. conpugnabant tamen inopiae iniuria et paternae pietatis gratiae, fames urgebat ad pretium, natura ad officium. commori filiis paratus quam a filiis separari saepe gradum protulit, saepe reuocauit. uicit tamen necessitas, non uoluntas et ipsa concessit pietas necessitati.

Consideremus nunc patriae mentis procellas exaesiuantis quem de liberis prius traderet. \'quem* inquit \'uendam priorem? scio enim quod non satis est unius pretium ad pastum reliquorum. hoc solum fecunditas diues ad aerumnam! quem offeram? quem frumenti auctionator libenter aspiciet? primogenitum offeram. sed primus me patrem uocauit. hic est maior ex filiis, quem congrue honoro seniorem. sed iuniorem dabo. at istum teneriore amore conplector. illum erubesco, huius misereor: illius gradum suspiro, huius aetatem: ille iam sentit aerumnam. iste ignorat: flectit me illius dolor, huius inscientia. ad alios me conferam. ille mihi plus blanditur, iste plus uerecundatur: ille parenti similior, hic utilior: in illo imaginem meam uendo, in isto spem meam prodo. me miserum, non inuenio quid faciam, non habeo quid eligam. circumuallant me facies calamitatum, aerumnarum chorus. ferina haec rabies est eligere quem tradas.

ferae ipsae cum periculum inminere proli ac sibi sentiunt, solent eligere quos liberent, non quos offerant. quomodo igitur discernam affectum naturae, quomodo obliuiscar, quomodo exuam patris mentem? quomodo filii auctionem constituam, quo sermone paciscar pretium, quibus tradam manibus in seruitutem filium, quibus oculis adspiciam seruientem, quibus osculis discedenti uale dicam, quibus factum excusem sermonibus? fili, ego te pro meo cibo uendidi. funestior ergo iam pauperis mensa quam diuitis. ille addicit alienos, ego meum uendo: ille necessitatem inponit, ego adfero uoluntatem. ut sit excusabilior causa, adiciam: fili, pro fratribus tuis seruies, ut illis quaerantur alimenta. et Ioseph a fratribus suis in seruitutem uenditus postea et ipsos et patrem pauit. respondebit ille: sed non eum uendidit pater, sed fleuit amissum, sed postea etiam. ipse in potestatem diuitis uenit et uix potuit liberari. postea genus eius diuitiis Aegypti multa aetate seruiuit. uende me postremo, pater, ea condicione, ne diuites emant.\'

haesi, fateor, uerum quid faciam? nullum uendam. sed dum unum considero, omnes fame uidebo pereuntes. si unum tradam, quibus oculis uidebo ceteros de mea inpietate suspectos, ne alios quoque uendam? quo pudore regrediar domum, quomodo intrabo, quo habitabo affectu, qui mihi abnegaui filium, quem non morbus absumpsit, non mors abstulit? qua conscientia considerabo mensam meam, quam sicut nouella oliuarum in circuitu tot filii uestiebant?\'

Haec pauper te praesente deplorat, et tibi auaritia aurem obstruit nec mens tua facti miserabilis horrore mollitur. totus populus ingemescit, et solus, diues, non flecteris nec audis scripturam dicentem: perde pecuniam propter fratrem et amicum, et non abscondas eam sub lapide in mortem. et quia non audis, ideo exclamat Ecclesiastes dicens: est languor malus, quem uidi sub sole, diuitias custodiri in malum possidentis eas. sed fortasse redeas domum, cum uxore conferas, illa te hortetur ut redimas uenundatum. immo magis hortabitur, ut mundum muliebrem conferas, unde potes uel paruo pauperem liberare. illa

tibi inponet sumptuum necessitatem, ut gemma bibat, in ostro dormiat, in argentea sponda recumbat, auro oneret manus, ceruicem monilibus.

delectantur et conpedibus mulieres, dummodo auro ligentur. non putant onera esse, si pretiosa sint, non existimant uincula esse, si in his thensaurus coruscet. delectant et uulnera, ut aurum auribus inseratur et margaritae pendeant. habent et gemmae pondera sua, habent et uestes sua frigora. sudatur in gemmis, algetur in sericis: tamen pretia iuuant et quae natura auersatur commendat auaritia. zmaragdos et hyacinthos beryllum achaten topazion amethystum iaspin sardium summo quaerunt furore. uel si dimidium patrimonii petatur, non parcunt dispendio, dum indulgent cupiditati. non abnuo gratum quendam lapidum istorum esse fulgorem, sed tamen lapidum. et ipsi admonent contra natu ram expoliti, ut saxorum deponerent asperitatem, rigorem 15 magis mentis esse expoliendum.

\'Quis artifex unum diem uitae hominis potuit adiungere? quem diuitiae ab inferis redemerunt? cuius aegritudinem pecunia mitigauit? non in abundantia inquit uita eius. et alibi: nihil prosunt thensauri iniustis, iustitia autem liberat a morte. merito clamat Dauid: diuitiae si fluant, nolite cor adponere. quid enim mihi prosunt, si me a morte liberare non possunt? quid mihi prosunt, si mecum post mortem esse non possunt? hic adquiruntur, hic relinquuntur. somnium igitur loquimur, non patrimonium. unde bene ait idem propheta de diuitibus: dormierunt somnum suum et nihil inuenerunt omnes uiri diuitiarum in manibus suis, hoc est: nihil inuenerunt operibus suis diuites, qui nihil pauperi contulerunt. nullius iuuerunt inopiam, nihil ad utilitatem suam proficiens repperire potuerunt.

ipsum nomen considera. Ditem dicunt gentiles inferi praesulem, arbitrum mortis. ditem appellant et diuitem, quod nisi mortem diues inferre non nouerit, cui regnum de mortuis, cui sedes inferna sint. quid est enim diues nisi inexplebilis quidam gurges diuitiarum, inexplebilis auri fames aut sitis? quo plus hauserit, plus inardescit. qui diligit inquit argentum non satiabitur argento et infra: et quidem hoc pessimus languor; sicut enim fuit, ita et abiit, et abundantia eius laborat in uentum. et quidem omnes dies eius in tenebris et luctu et iracundia multa et languore et ira, ut tolerabilior sit condicio seruulorum; illi enim hominibus seruiunt, iste peccato; qui enim facit peccatum seruus est peccati. semper in laqueis, semper in uinculis, numquam liber a conpedibus, quia semper in criminibus. quam misera seruitus seruire peccatis!

Naturae ipsius nescit munia nec somni ipsius uices nouit aut cibi fungitur suauitate, cuius nullum est inmune seruitium; dulcis enim somnus serui, et si modicum et si multum edat, et satiato diuitiis non est qui sinat eum dormire. excitat eum cupiditas, exagitat cura peruigil aliena rapiendi, torquet inuidia, mora uexat, sterilitas prouentuum infecunda perturbat, sollicitat abundantia. unde illi diuiti, cuius possessio uberes fructus adtulit, qui cogitauit intra se dicens: quid faciam, quod non habeo quo congregem fructus meos? et dixit: hoc faciam, destruam horrea et maiora faciam, et illo congregabo omnia quae nata sunt mihi et dicam animae meae: anima. habes multa bona in annos multos posita: requiesce, manduca, bibe, epulare; respondit deus: stulte, hac nocte animam tuam repetunt a te; quae autem parasti cuius erunt? ne ipse quidem deus eum dormire permittit.

interpellat cogitantem, excitat dormieutem. sed nec ipse se quietum esse patitur, qui de abundantia sollicitatur et in ubertate fructuum uocem egentis emittit. quid faciam? inquit. nonne haec pauperis uox est, non habentis subsidia uiuendi? egens omnium huc atque illuc respicit, scrutatur hospitium, nihil inuenit ad usum alimenti. considerat nihil miserius quam fame confici et cibi indigentia mori, quaerit mortis conpendia et tolerabiliora obeundi supplicia rimatur, arripit gladium, suspendit laqueum, ignis adolet, explorat uenenum. et inter haec dubius quid eligat dicit: quid faciam? deinde uitae huius suauitate reuocatus cupit reuocare sententiam, si possit uiuendi substantiam repperire. aspicit nuda omnia, uacua omnia. ait: quid faciam? unde mihi alimenta. unde uestitus? uolo uiuere, si habeam quomodo possim uitam hanc sustinere, sed quibus cibis, quibus subsidiis? quid faciam inquit, quod non habeo.

clamat se diues non habere: paupertatis hic sermo est: de inopia queritur abundans fructibus. non habeo inquit quo congregem fructus? putares illum dicere: non habeo fructus, unde uiuendum est mihi. beatus qui de abundantia periclitatur? immo miserior iste fecunditatibus suis quam pauper, cui periculum de egestate est. habet ille unde excuset aerumnam, habet certe iniuriam, non habet culpam: iste non habet quem praeter se arguat.

et dixit: hoc faciam, destruam horrea. putes adhuc illum dicere: aperiam horrea, ingrediantur qui tolerare famem non queunt, ueniant inopes, intrent pauperes, repleant sinus suos. destruam parietes, qui excludunt esurientem. ut quid ego abscondam, cui deus facit abundare quod largiar? ut quid repagulis portarum claudam frumenta, quibus deus totum repleuit camporum ambitum, quae sine custode nascuntur et abundant?

Uicta est spes anari, rumpuntur uetusta horrea messibus nonis. \'minus habui et frustra seruaui; plus natum est. cui congrego? dum incrementa pretiorum aucupor, amisi usum beneficiorum. quantas anni superioris frumento potui animas pauperum reseruare? haec me magis delectarent pretia, quae non nummo aestimantur, sed gratia. imitabor sanctum Ioseph humanitatis praedicatione, clamabo uoce magna: uenite, pauperes, edite panes meos, expandite gremium, suscipite frumentum. fecunditas diuitis, totius orbis abundantia omnium debet esse fertilitas.\' tu uero non hoc dicis, sed ais: destruam horrea. recte destruis ea, a quibus nullus pauper onustus reuertit. horrea iniquitatis receptacula, non pietatis subsidia. recte destruit, quia sapienter aedificare non nouit. destruit sua diues, qui nescit aeterna, destruit horrea, qui non nouit sua frumenta diuidere, sed claudere.

et maiora inquit faciam. infelix, uel id dispensato pauperibus, quod pro sumptu aedificationis inpendis. dum liberalitatis gratiam refugis, damna aedificationis exsoluis.

et addidit: illo congregabo omnia quae nata sunt mihi et dicam animae meae: anima mea, habes multa bona. conficitur auarus semper ubertate prouentuum, dum uilitatem alimoniae calculatur. fecunditas enim uniuersorum est, sterilitas soli auaro est quaestuosa. delectatur magis enormitate pretiorum quam abundantia copiarum et mauult habere quod solus quam quod cum omnibus uendat. uide timentem, ne superfluat cumulus fru-

mentorum, ne supra horrea redundans transfundatur in pauperes et boni alicuius occasio indigentibus adquiratur. soli sibi partus terrarum uindicat, non quo ipse uti uelit, sed aliis denegare.

Habes inquit multa bona. nescit auarus bona nisi ea quae quaestuosa sunt nominare. sed adquiesco ei, ut bona dicantur quae sunt pecuniaria. cur ergo de bonis facitis mala, cum de malis bona facere debeatis? scriptum est enim: facite uobis amicos de mammona iniquitatis. ei ergo qui uti sciat bona sunt, qui uti nesciat recte mala. dispersit, dedit pauperibus, iustitia eius manet in aeternum. quid hoc melius? bona sunt, si pauperi largiaris, in quo tibi debitorem deum quadam pietatis faeneratione constituas. bona sunt, si aperias horrea iustitiae tuae, ut sis panis pauperum, uita egentium, oculus caecorum, orbatorum infantium pater.

habes unde facias, quid uereris? tua te uoce conuenio. habes multa bona in annos multos posita, potes et tibi et aliis abundare, habes fecunditatem publicam: quid destruis horrea,? ostendo tibi, ubi melius tua frumenta custodias, ubi bene saepias, ut fures tibi ea auferre non possint. include ea in corde pauperum, ubi ea nullus curculio consumat, nulla corrumpat uetustas. habes apothecas inopum sinus, habes apothecas uiduarum domos, habes apothecas ora infantium, ut dicatur tibi: ex ore infantium et lactantium perfecisti laudem. istae sunt apothecae, quae maneant in aeternum, ista horrea, quae fecunditas futura non destruat. nam quid iterum facias, si tibi plus natum fuerit anno sequenti? iterum ergo et illa destrues quae nunc facere paras et maiora facies. dat enim tibi fecunditatem deus, ut aut uincat aut condemnet auaritiam tuam, quo excusationem habere non possis: tu uero quod per te multis nasci uoluit tibi soli reseruas, immo et tibi adimis; magis enim seruares tibi, si dispertireris aliis; bonorum enim fructus munerum in eos ipsos qui contulerint reuertuntur et gratia liberalitatis in auctorem redit. denique scriptum est: seminate uobis ad iustitiam. esto spiritalis agricola, sere quod tibi prosit. bona satio in corde uiduarum. si terra tibi fructus reddit uberiores quam acceperit, quanto magis misericordiae remuneratio reddet multiplicatiora quae dederis!

Deinde, homo, nescis quia terrae partum praeuenit dies mortis, misericordia autem incursum mortis excludit? adsistunt iam qui reposcant animam tuam, et tu adhuc differs operum fructus tuorum, tu adhuc tempora tibi uiuendi longa metaris? stulte, hac nocte animam tuam repetunt a te. bene ait \'nocte\'. nocte anima auari reposcitur: a tenebris incipit et in tenebris perseuerat. auaro nox semper est, dies iusto, cui dicitur: amen, amen dico tibi, hodie mecum eris in paradiso. stultus autem sicut luna mutatur, iusti autem fulgebunt sicut sol in regno patris sui. recte arguitur stultitiae qui in manducando et bibendo locarit spem suam. et ideo tempus ei mortis urgetur secundum quod dictum est ab ipsis qui gulae seruiunt: manducemus et bibamus; cras enim moriemur. recte dicitur stultus qui animae suae corporalia subministrat, quia recondit quae cui seruet ignorat.

et ideo ei dicitur: quae autem parasti cuius erunt? quid cottidie metiris et numeras et obsignas? quid aurum trutinas, argentum ponderas? quanto melius est liberalem esse dispensatorem quam sollicitum custodem! quantum tibi prodesset ad gratiam multorum

pupillorum patrem nominari quam innumeras stateras in sacculo obsignatas habere! pecunia etenim hic relinquitur, gratia nobiscum ad iudicem meriti defertur.

Sed fortasse dicas quod uulgo soletis dicere: \'non debemus donare ei cui deus ita maledixit, ut eum egere uellet.\' sed non pauperes maledicti, cum scriptum sit: beati pauperes, quoniam ipsorum est regnum caelorum. non de paupere, sed de diuite scriptura dicit: captans pretia frumenti maledictus erit. deinde non requiras quid unusquisque mereatur. misericordia non de meritis iudicare consueuit, sed necessitatibus subuenire, iuuare pauperem, non examinare iustitiam; scriptum est enim: beatus qui intellegit super egenum et pauperem. quis est qui intellegit? qui conpatitur ei, qui aduertit consortem esse naturae, qui cognoscit quod et diuitem et pauperem fecit dominus, qui scit quod sanctificet fructus suos, si de his delibet aliquam pauperibus portionem. ergo cum habeas unde benefacias, ne differas dicens: cras dabo, ne largiendi amittas copiam. periculosa est de alterius salute dilatio, potest fieri ut dum tu differs, ille moriatur. magis ante mortem praecurre, ne forte auaritia te et cras impediat et promissa fraudentur.

Sections 41 to 72

Sed quid dicam, ue differas liberalitatem? utinam non adproperes rapinam, utinam quod concupieris, non extorqueas, utinam alienum non petas. negatum praetermittas, excusatum patienter feras, non audias illam Iezabel, quae est auaritia, quodam profluuio uanitatis dicentem: ego tibi dabo possessionem, quam desideras. tu tristis es, quia uis mensuram considerare iustitiae, ut alienum non eripias: ego habeo mea iura, habeo meas leges. calumniabor, ut spoliem, et ut possessio pauperis eripiatur, uita pulsabitur.

quid enim aliud in illa historia nisi diuitum auaritia describitur, quae est uanum profluuium, quod omnia fluuii modo rapiat et nulli usui profutura transducat? haec est lezabel non una, sed multiplex, non unius temporis, sed temporum plurimorum. haec omnibus dicit, sicut illa dixit uiro suo Achab:

surge, manduca panem et redi ad te. ego tibi dabo uineam Nabuthae Israhelitae. et scripsit librum nomine Achab et signauit anulo illius et misit librum ad seniores et ad liberos eos, qui morabantur cum Nabuthae. et erat scriptum in libro: ieiunate ieiunium et constituite Nabuthae in principem populi et constituite duos uiros filios iniquitatis ex diuerso eius, ut falsum testimonium perhibeant aduersus eum dicentes: benedixit deum et regem et producite illum et lapidate.

Quam euidenter expressa est diuitum consuetudo? contristantur, si aliena non rapiant, renuntiant cibo, ieiunant, non ut peccatum minuant, sed ut crimen admittant. uideas illos tunc conuenientes ad ecclesiam officiosos humiles adsiduos, ut effectum sceleris impetrare mereantur. sed dicit illis deus: non hoc ieiunium elegi, non si flectas ut circulum collum tuum, cinerem etiam et cilicium substernas, nec sic uocabitis ieiunium acceptum. non tale ieiunium elegi, dicit dominus. sed solue omnem conligationem iniustitiae, dissolue obligationes uiolentarum commutationum, dimitte confractos in remissionem et omnem conscriptionem iniquam disrumpe. frange panem tuum esurienti et egenos non habentes tectum induc in domum tuam. si uideris nudum, uesti et domesticos seminis tui non despicies. tunc orietur tibi matutinum lumen tuum, et sanitas tua matura orietur et praecedet ante te iustitia et maiestas dei circumdabit te. tunc clamabis, et deus exaudiet te; adhuc te loquente dicet: ecce adsum.

audis, diues, quid dominus deus dicat? et tu ad ecclesiam uenis, non ut aliquid largiaris pauperi, sed ut auferas. ieiunas, non ut conuiuii tui sumptus proficiat egenis, sed ut spolium de egentibus adipiscaris. quid tibi uis cum libro et carta et signaculo et conscriptione et uinculo iuris? non audisti: solue omnem conligationem iniustitiae, dissolue obligationes uiolentarum commutationum, dimitte confractos in remissionem et omnem conscriptionem iniquam disrumpe. tu mihi tabulas offers, ego tibi recito dei legem: tu atramento scribis, ego tibi spiritu dei inscripta repeto oracula prophetarum: tu testimonia falsa conponis, ego testimonium conscientiae tuae posco, quam iudicem tui effugere et declinare non poteris, cuius testimonium non poteris recusare in die, qua reuelabit deus occulta hominum. tu dicis: destruam horrea: dominus dicit: sine magis quidquid intra horreum est pauperibus deputari, sine cellas istas egenis prodesse. tu dicis: maiora faciam et illo congregabo omnia quae nata sunt mihi: dominus dicit: frange esurienti panem tuum. tu dicis: tollam pauperi domum suam: dominus autem dicit ut egenos non habentes tectum inducas in domum tuam. quomodo uis, diues, ut deus te exaudiat, cum tu deum non putes audiendum? si non adquiescatur arbitrio diuitis, scaena conponitur, dei aestimatur iniuria, si diuitis petitio refutetur.

Deum inquit benedixit et regem, aequalis uidelicet persona, ut sit aequalis contumelia. benedixit inquit deum et regem. ne diuitem maledicti nomen offendat et sermonis ipso laedatur sono, benedictio pro maledicto uocatur. quaeruntur duo testes iniquitatis. duobus testibus et Susanna est adpetita, duo testis et synagoga inuenit, qui aduersus Christum falsa iactarent, duobus testibus pauper occiditur. produxerunt igitur Nabuthae foras et lapidauerunt eum. utinam uel in suis ei liceret mori! pauperi ipsam diues inuidet sepulturam.

et factum est inquit, cum audisset Achab quia mortuus est Nabuthae, conscidit uestimenta sua et cooperuit se cilicio. et factum est post haec et surrexit et descendit Achab ad uineam Nabuthae Israhelitae possidere eam. irascuntur diuites et calumniantur, ut noceant, si non optineant quod desiderauerint. cum autem calumniati nocuerint, dolere se simulant, tristes tamen et tamquam maesti non corde sed uultu in possessionis direptae locum prodeunt et inpressionis suae iniquitate potiuntur.

Hoc diuina mouetur iustitia et auarum digna seueritate condemnat dicens: occidisti et possedisti hereditatem. propter hoc in loco, in quo linxerunt canes sanguinem Nabuthae, in eo lingent canes sanguinem tuum et meretrices lauabuntur in sanguine tuo. quam iusta, quam seuera sententia, ut quam intulit alteri mortis acerbitatem eam ipse mortis suae horrore dissoluere prohiberetur. inhumatum pauperem deus aspicit et ideo insepultum diuitem iacere decernit. ut et mortuus luat suae iniquitatis aerumnam qui nec mortuo putauit esse parcendum. itaque uulneris sui cruore perfusum cadauer in specie funeris uitae suae prodidit crudelitatem. haec cum pertulit pauper, diues arguebatur, cum diues excepit, pauper uindicabatur.

quid sibi autem uult quod meretrices lauerunt in sanguine eius nisi forte ut meretricia quaedam in illa feritate fuisse regis perfidia proderetur uel cruenta luxuries, qui sic fuit

luxuriosus, ut holus desideraret, sic cruentus, ut propter holus hominem occideret? digna auarum, digna auaritiae poena consumit. denique et Iezabel ipsam comederunt canes et uolucres caeli, ut ostenderetur quod spiritalis nequitiae fiat praeda diuitis sepultura. fuge ergo. dives, huiusmodi exitum. sed fugies eiusmodi exitum, si fugeris eiusmodi flagitium. noli esse Achab, ut possessionem finitimam concupiscas. non tibi cohabitet Iezabel illa feralis auaritia, quae tibi cruenta persuadeat, quae cupiditates tuas non reuocet, sed inpellat, quae te faciat tristiorem etiam, cum desiderata possederis, quae te faciat nudum, cum dives fueris.

Pauperiorem enim se iudicat omnis abundans, quia sibi deesse arbitratur quidquid ab aliis possidetur. toto mundo eget, cuius non capit mundus cupiditates; eius autem qui fidelis est totus mundus diuitiarum est. toto mundo fugit qui considerans conscientiam suam metuit deprehendi. et ideo Achab ad Helian secundum historiam ait, secundum aenigmata autem dives ad pauperem: inuenisti me inimicus meus. quam misera conscientia, quae se proditam doluit!

et dixit Helias ad eum: inueni, quoniam fecisti malum in conspectu domini. rex ille erat et rex Samariae Achab, Helias pauper et indigens panis, cui defuisset uictus substantia, nisi corui alimoniam ministrassent. adeo deiecta erat conscientia peccatoris, ut nec regalis potentiae fastu adtolleretur. itaque quasi uilis et degener inuenisti me inquit inimicus meus et deprehendisti in me quae latere credebam. nulla mentis meae occulta te fallunt; inuenisti me, patent tibi uulnera mea, captiuitas praesto est. peccator inuenitur, cum iniquitas eius proditur, iustus autem dicit: igne me examinasti, et non est inuenta in me iniquitas.

Adam cum lateret, inuentus est, Moysi autem nequaquam inuenta est sepultura. inuentus est Achab, non inuentus Helias, et sapientia dei dixit: quaerent me mali et non uenient. unde et in euangelio Iesus quaerebatur et non inueniebatur. culpa igitur auctorem suum prodit. unde et Thesbites ait: inueni quoniam fecisti malum in conspectu domini, quia culpae reos tradit dominus. innocentes autem non tradit in potestatem inimicorum suorum. denique Saul quaerebat sanctum Dauid et inuenire non poterat, Dauid uero sanctus regem Saul, quem non quaerebat, inuenit, quoniam tradidit eum dominus in potestatem ipsius. captiua igitur opulentia est, paupertas libera.

Seruitis, diuites, ac miseram quidem seruitutem, qui seruitis errori, seruitis cupiditati, seruitis auaritiae, quae expleri non potest. gurges quidam insatiabilis rapidior est, cum inlata demergit, et putei modo cum exundat caeno inquinatur, terram adrodit nihil sibi profuturam. uel hoc exemplo uos admoneri conuenit. puteus enim, si nihil haurias, inerti otio et degeneri situ facile corrumpitur, exercitus autem nitescit ad speciem, dulcescit ad potum. ita et aceruus diuitiarum cumulo harenosus speciosus est usu, otio autem inutilis habetur. deriuato igitur aliquid de hoc puteo. ignem ardentem restinguet aqua et elemosyna resistet peccatis, aqua autem statiua cito uermis facit. non stet thesaurus tuus nec stet ignis tuus. stabit in te, nisi eum operibus tuae miserationis auerteris. in quantis sis, dives, incendiis considera. tua uox est dicentis: pater Abraham, dic Lazaro, ut extremum digiti sui intinguat in aqua et refrigeret linguam meam.

tibi igitur proficit quidquid inopi contuleris, tibi crescit quidquid minueris. te illo quem pauperi dederis cibo pascis, quoniam qui miseretur pauperis ipse pascitur et fructus iam in his est. misericordia seminatur in terra, in caelo germinat, plantatur in paupere, aput deum pullulat. ne dixeris inquit deus: eras dabo. qui non te patitur dicere: eras dabo, quomodo patitur dicere: non dabo? non de tuo largiris pauperi, sed de suo reddis; quod enim commune est in omnium usum datum solus usurpas. omnium est terra, non diuitum, sed pauciores qui non utuntur suo quam qui utuntur. debitum ergo reddis, non largiris indebitum. ideoque tibi dicit scriptura: declina pauperi animam tuam et redde debitum tuum et responde pacifica in mansuetudine.

Quid enim superbias, diues? quid dicas pauperi: noli me tangere? nonne sic utero conceptus et natus ex utero es, quemadmodum est pauper natus? quid te iactas de nobilitatis prosapia? soletis et canum uestrorum origines sicut diuitum recensere, soletis et equorum uestrorum nobilitatem sicut consulum praedicare. ille ex illo patre generatus est et ex illa matre editus, ille auo illo gaudet, ille se proauis adtollit. sed nihil istud currentem iuuat; non datur nobilitati palma, sed cursui. deformior est uictus, in quo et nobilitas periclitatur. caue igitur, diues, ne in te erubescant tuorum merita maiorum, ne forte et illis dicatur: cur talem instituistis, cur talem elegistis heredem?\' non in auratis laquearibus nec in porphyreticis orbibus heredis est meritum. laus ista non hominum, sed metallorum est, in quibus homines puniuntur. per egentes aurum quaeritur et egentibus denegatur. laborant ut quaerant. laborant ut inueniant quod habere non norunt.

miror tamen, cur eo uos, diuites, iactandos putetis, cum aurum materia magis offensionis quam commendationis gratia sit; lignum enim offensionis est et aurum, et uae his qui sectantur illud. denique benedicitur diues, qui inuentus est sine macula et qui post aurum non abiit nec sperauit in pecuniae thensauris. sed quasi is cognitus esse non possit, eum sibi desiderat demonstrari. quis est? inquit et laudabimus eum; fecit enim quod mirari magis quasi nonum quam quasi usitatum recognoscere debeamus. itaque qui in diuitiis potuerit conprobari, is uere perfectus et dignus est gloria. qui potuit inquit transgredi et non est transgressus, et facere male et non fecit. aurum ergo uobis. in quo tanta erroris inlecebra est, non tam sua gratia quam hominum poena commendat.

an uos ampla extollunt atria, quae magis debent conpungere, quia cum populos capiant, uocem excludunt pauperis? quamquam nihil prosit audiri eam, quae etiam audita nil proficit. deinde non ipsa uos pudoris aula admonet, qui aedificando uestras uultis superare diuitias nec tamen uincitis. parietes uestitis, nudatis homines. clamat ante domum tuam nudus, et neglegis: clamat homo nudus, et tu sollicitus es quibus marmoribus pauimenta tua uestias. pecuniam pauper quaerit et non habet: panem postulat homo, et equus tuus aurum sub dentibus mandit. sed delectant te ornamenta pretiosa, cum alii frumenta non habeant: quantum, o diues, iudicium tibi sumis! populus esurit, et tu horrea tua claudis: populus deplorat, et tu gemmam tuam uersas. infelix, cuius in potestate est tantorum animas a morte defendere et non est uoluntas! totius uitam populi poterat anuli tui gemma seruare.

Audi plane qualis diuitem deceat praedicatio. liberaui inquit pauperem de manu potentis et orphanum. cui non erat adiutor, adiuui. benedictio perituri super me uenit, os autem uiduae me benedixit. iustitiam induebar, oculus eram caecorum, pes autem claudorum; ego eram pater infirmorum. et infra: ante fores meas non habitauit hospes, ostium autem meum omni uenienti patuit. si autem et peccaui inprudens, non celaui culpam meam neque reueritus sum multitudinem plebis, ut non adnuntiarem praesentibus eis. si passus sum infirmum exire ostium meum uacuo sinu. cautionem quoque quam habuit debitoris scissam ;;ine recuperatione debiti reddidisse memorauit. nam quid etiam illa replicem, quod in omni infirmo fleuisse se dicit et ingemuisse. cum uideret uirum in necessitate, se autem in bonis, sed tunc sibi magis fuisse dies malorum, cum se habere cerneret et alios indigere? si hoc ille dicit, qui numquam uiduae fecit oculum tabescere, qui numquam solus panem suum manducauit et non orphano tradidit. quem a iuuentute sua nutriuit aluit instituit parentis affectu, qui numquam nudum despexit, qui morientem operuit, qui uelleribus ouium suarum infirmorum calefecit umeros, non oppressit pupillum, numquam diuitiis delectatus est, numquam gratulatus est lapsu inimicorum suorum, si qui fecit haec de summis coepit egere diuitiis, si nihil ex patrimonio tanto nisi solum fructum misericordiae reportauit, quid de te futurum est. qui tuo nescis uti patrimonio, qui in summis diuitiis dies sustines mendicitatis, quia nulli larg-iris, nulli subuenis?

Custos ergo tuarum es, non dominus facultatum, qui aurum terrae infodis. minister utique eius, non arbiter. sed ubi thensaurus tuus, ibi et cor tuum. ergo in illo auro cor tuum terrae infodisti. uende potius aurum et eme salutem, uende lapidem et eme regnum dei, uende agrum et redime tibi uitam aeternam. uera allego, quia uerba adstruo ueritatis. si uis perfectus esse, inquit omnia quaecumque habes uende et da pauperibus, et habebis thensaurum in caelo. et noli contristari, cum haec audis, ne dicatur et tibi: quam difficile qui pecunias habent in regnum dei intrabunt. magis cum haec legis, considera quia ista tibi potest mors eripere, potestas superioris tollere, deinde quia peteris parua pro magnis, caduca pro aeternis, thensauros pecuniae pro thensauris gratiae. isti corrumpuntur, illi permanent.

considera quia hos non solus possides. possidet tecum tinea, possidet aerugo, quae consumit pecuniam. has tibi consortes auaritia dedit. uide autem quos tibi det gratia debitores: splendidum in panibus benedicent labia iustorum et testimonium bonitatis illius fiet. facit tibi debitorem patrem deum, qui pro munere, quo pauper adiutus est, faenus exsoluit quasi boni debitor creditoris. facit tibi debitorem filium, qui ait: esuriui et dedistis mihi manducare, sitiui et dedistis mihi bibere, hospes eram et collegistis me, nudus et operuistis me. quod enim unicuique minimorum conlatum est sibi dicit esse conlatum. nescis, o homo, struere diuitias. si uis diues esse. esto pauper saeculo, ut sis deo diues.

diues fidei diues est deo, diues misericordiae diues est deo, diues simplicitatis diues est deo, diues sapientiae, dines scientiae diuites deo. sunt qui in paupertate abundent et qui in diuitiis egeant. abundant pauperes, quorum profunda paupertas abundauit in diuitiis simplicitatis suae, diuites autem eguerunt et esurierunt. neque enim otiose scriptum est:

diuitum pauperes praepositi erunt et proprii serui dominis faenerabunt, quia diuites et domini superuacua et mala seminant. ex quibus fructum non colligant, sed \'spinas metant. et ideo pauperibus diuites erunt subditi et serui dominis spiritalia faenerabunt, quemadmodum diues rogabat, ut sibi stillam aquae pauper Lazarus faeneraret. potes et tu, diues, istam implere sententiam. largire pauperi, et domino faenerasti; qui enim largitur pauperi deum faenerat.

Pulchre autem sanctus Dauid in psalmo septuagesimo quinto. hymnum deo concinens ad Assyrium scriptum, hoc est aduersus nequitiae spiritalis Assyrium. inanem ac uanum principem istius mundi, ita coepit: notus in Iudaea deus. hoc est non in diuitibus, non in nobilibus et in potentibus, sed in anima confitente notus est deus. et in Istrahel magnum inquit nomen eius, non in principibus et consulibus, sed in eo qui deum uidet; ipse est enim Istrahel. in quo profunda fides ad cognitionem dei potuit peruenire.

et factus est inquit in pace locus eius, ubi quietus affectus nullis diuersarum cupiditatum exagitatur fluctibus, nullis auaritiae turbatur procellis, nullis diuitiarum quaerendarum ignescit incendiis. ipse est qui speculatur aeterna et habitat in Sion, confringens omnia spiritalium instrumenta bellorum, conterens arcus, quibus diabolus ignita dirigens iacula graues pectoribus hominum solet inurere passiones. sed illa iacula iusto nocere non possunt, cui deus lux est, tantumque abest a caligantium . horrore tenebrarum, ut aduersarius in eo locum habere non possit, qui etiam principibus se consueuit infundere. sicut infudit Iudae etiam proditori concidens tamquam in silua lignorum fidei ianuas, ut in cor eius haberet ingressum et aeterni nominis tabernaculum possideret apostolatus conlati munere dedicatum. ergo ille quasi inprobus usurpator concidit ianuas, ut uiolentus introeat, dominus autem quasi pius inlustrat seruolos et eorum fulgentibus meritis et claritate uirtutum tenebras mundi huius inluminat. hanc pacifici atque mansueti habent aput deum gratiam sobria mentis suae tranquillitate fundati, insipientes autem corde turbantur et ipsi sunt sibi propriae exagitationis auctores, quia desideriorum suorum uoluuntur aestu et quodam salo fluctuant.

Qui sint isti significauit expresse dicendo: omnes uiri diuitiarum. omnes dixit, nullum excepit. et bene uiros diuitiarum appellauit. non diuitias uirorum, ut ostenderet eos non possessores diuitiarum esse, sed suis diuitiis possideri; possessio enim possessoris debet esse, non possessor possessionis. quicumque igitur patrimonio suo tamquam possessione non utitur, qui largiri pauperi et dispensare non nouit, is suarum seruulus. non dominus facultatum est, quia alienas custodit ut famulus, non tamquam dominus ut suis utitur. in huiusmodi ergo affectu dicimus quod uir diuitiarum sit, non diuitiae uiri. intellectus enim bonus utentibus eo, qui autem non intellegit, is utique intellectus sibi gratiam non potest uindicare et ideo somno temulentiae consopitus obdormiuit. huiusmodi igitur uiri somnum suum dormiunt, hoc est suum somnum, non Christi dormiunt. et qui somnum Christi non dormiunt non habent Christi quietem, non surgunt Christi resurrectione. qui ait: ego dormiui et quieui et surrexi, quoniam dominus suscipiet me.

in hoc quoque saeculo dormitant digni habiti increpatione caelesti qui ascenderunt equos, quos refrenare non poterant. legimus alibi dicente ecclesia siue anima: posuit me currus Aminadab. si ergo anima currus est, uide ne equus caro sit, agitator autem uigor mentis, qui regit carnem et motus eius uelut quosdam equos prudentiae habenis cohercet. dormitauerunt ergo qui ascenderunt corporis uoluptates nullo eas moderamine gubernantes. unde et ascensores eos quam equites uel agitatores maluit nuncupare. agitator etenim cum disciplina et arte pro suo equos arbitrio agitat, ut uel currentes incitet uel reflectat indomitos uel reuocet fatigatos uel mansuetos pro sua uoluntate conuertat. unde cum reciperetur Helias et curru quasi ad caelum ferretur, clamauit ad eum Helisaeus: pater, pater, agitator Istrahel et eques ipsius, hoc est: qui populum domini bono ductu regebas constantiae merito hos accepisti currus, hos equos ad diuina currentes, quia moderatorem te humanarum mentium dominus conprobauit, et ideo tamquam bonus auriga certaminis uictor aeterno praemio coronaris. in Ambacum propheta quoque lectum est ad ipsum dominum dictum: ascendes supra equos tuos, et equitatus tuus salus; agitauit enim apostolos suos, quos per diuersa direxit, ut toto orbe euangelium praedicarent. ascendes ait quasi rectori equorum, non quasi ascensori. ascendit enim etiam eques, sed ut regat, non ut tantummodo sedeat, eo quod desidiosus et piger somnolentae proferre non possit mentis incessum.

de equite autem lectum est: et eques cadet retrorsum expectans salutem domini. etenim quia nemo sine lapsu est, etiamsi quis eques ceciderit et terrenis aliquibus uitiis fuerit inflexus, si tamen non abiciat spem resurgendi, fretus miseratione diuina peruenit ad salutem. de ascensore uero manifestum est indicium, quod reprehensibilis habeatur, quando Moyses ipse ait in cantico Exodi: equum et ascensorem proiecit in mare. et in Zacharia locutus est dominus dicens: percutiam omnem equum in amentia et ascensorem eius in eius in insipientia. non dixit solum equum, sed et ascensorem, quomodo et in Exodo habes: equum et ascensorem. ubi enim ascensor, qui non potest equum proprium gubernare, equus quoque fertur in praeceps et indomito furore in praerupta et periculosa raptatur. quid igitur uobis in equis confiditis, diuites? mendax equus ad salutem. quid in curribus plauditis? hi in curribus et hi in equis, nos autem in nomine domini magnificabimur. ipsi obligati sunt et ceciderunt, nos autem surreximus et erecti sumus. nolite amare adhinnientes, nolite, diuites, fremitu libidinis excitari. terribilis est dominus et cui nemo possit potens et diues resistere; iudicium caeleste iaculatur.

Bonum est ut iam quiescatis et a flagitiis feriantes reuereamini domini potestatem. ideo dictum est parricidae Cain: peccasti,. quiesce, ut modum peccato suo poneret. cogitationes uestrae confiteantur domino. non dicatis: non peccauimus. dixit Paulus: etsi nihil mihi conscius sum, addidit tamen: sed non in hoc iustificatus sum. et uos etiamsi nihil estis conscii, confitemini tamen domino, ne quid sit quod uos praetereat. etenim qui confitetur domino et reliquias cogitationis adhibuerit ad confessionem diem festum mentis celebrabit arcano et epulabitur non in fermento malitiae et nequitiae.

sed in azymis sinceritatis et ueritatis. itaque in conclusione conuersus ad uos propheta ait: orate et reddite domino deo uestro, id est: nolite dissimulare, diuites - dies instat -, orate

pro peccatis uestris, reddite pro beneficiis quae habetis munera. ab ipso accepistis quod offeratis, ipsius est quod ei soluitis. dona, inquit, mea et data mea, hoc est quae offertis mihi dona data sunt mea; ego ea dedi nobis atque donaui. denique propheta ait: bonorum meorum non indiges, ideo tua tibi offero, quoniam nihil habeo quod non dedisti. fides est quae dona conciliat, humilitas est quae oblata commendat. fide Abel plurimam hostiam optulit deo; super Cain fratris munera placuit munus Abel. quia fide uicit. nam unde pauperis hostia magis quam diuitis placet? quia pauper fide ditior est. sobrietate locupletior. et cum sit pauper, ex illis est de quibus dicitur: tibi offerent reges munera. non enim purpuratis offerentibus, sed motus proprios regentibus Iesus dominus delectatur, qui corporali lasciuiae mentis dominentur imperio. orate ergo, diuites! non habetis in operibus quod placeat. orate pro peccatis uestris atque flagitiis et reddite domino deo uestro munera. reddite in paupere, in egeno soluite. in illo inope faenerate, quem placare propter flagitia uestra aliter non potestis. quem ultorem timetis facite debitorem. non accipiam inquit de domo tua uitulos neque de gregibus tuis hircos, quoniam meae sunt omnes ferae siluarum. quidquid optuleritis, inquit, meum est. quia totus orbis est meus. non exigo quae mea sunt; est quod de uestro possitis offerre studium deuotionis et fidei. non sacrificiorum ambitione delector; tantummodo, O homo. immola deo sacrificium laudis et redde altissimo uota tua.

Aut certe, si placet, sic accipiamus. quoniam dixit obdormisse somnum suum diuites, increpationes domini praemisit in eos. terrorem subtexuit, potentiam praedicauit, cui nec diuites resistant. conuersus ad uniuersos ait: diuites dormitent, diuites increpentur, uos orate et reddite domino deo uestro omnes. qui in circuitu eius offerunt munera, id est agite gratias, pauperes, quia non est personarum acceptor deus. illi diuitias struant, condant pecuniam, auri aggerent argentique thensauros; uos orate, qui aliud non habetis; uos orate, qui hoc solum habetis, quod est auro pretiosius et argento. uos reddite munera, qui a domino non receditis, qui estis in circuitu, quoniam qui eratis longe facti estis prope. qui autem prope sibi uidentur esse per diuitias ac potentiam longe facti sunt propter auaritiam. nemo enim foris est nisi quem culpa excluserit, ut eiecit Adam de paradiso et exclusit Euam, nemo longe nisi quem flagitia propria relegauerint.

ergo uos prope positi orate et reddite munera terribili et ei qui aufert spiritum principum, terribili aput reges terrae, eo quod nullo redimatur diuitis praemio, nullo inflectatur potentium supercilio, qui culpae pretia discriminat, qui quo plus alicui contulerit eo plus exigit ab eo, Saul priuato contulit regnum, sed quia mandatum non custodiuit, et regnum amisit et spiritum, multos reges gentium propter perfidiam fecit e populo patrum esse captiuos et, ut iam de proposita loquamur historia, qui Achab regem ingratum caelestibus beneficiis ita iussit occidi, ut a canibus eius uulnera lamberentar. etenim quia pauperis uineam concupiuerat, nequaquam tentis opibus expletus imperii infra omnem inopiam redactus a domino. non qui uulnera eius lauaret inuentus est, non qui corpus operiret. defecit circa eum humanitas hominum, canum successit asperitas. dignos plane sui ministros funeris auarus inuenit.

Hoc loco illud oritur quaestionis, quomodo legimus dominum dixisse ad Heliam: uidisti quemadmodum commotus est Achab a facie mea? non inducam in diebus eius mala, sed in diebus filii illius inducam mala aut quomodo dicimus quia ualet aput dominum paenitentia? ecce rex motus est ante faciem domini et ibat plorans et conscidit uestimenta sua et operuit se cilicio et erat indutus sacco ex illo die, quo interfecit Nabuthae Israhelitem, ita ut deum misericordia commoueret et mutaret sententiam. ergo aut paenitentia non\' ualuit nec inflexit dominum misericordem aut oraculum falsum est. nam Achab uictus est et occisus. sed considera quia Iezabel habebat uxorem, cuius inflammabatur arbitrio, quae conuertit cor eius et nimiis sacrilegiis execrabilem fecit. et hunc ergo paenitentiae eius reuocauit affectum, dominus autem non potest mutabilis aestimari, si confessionis inmemori non putauit esse seruandum quod promiserat confitenti.

accipe aliud uerius. et indigno seruauit dominus tenorem sententiae suae, sed beneficia circa se diuina ipse non tenuit. intulerat bellum rex Syriae. uictus est et seruatus ad ueniam, captiuus quoque libertate donatus et remissus ad regnum est. quod fuit diuinae sententiae non solum euasit Achab, sed etiam triumphauit, quod ipsius ignauiae hostem sibi, a quo uinceretur, armauit. et certe fuerat monitus a propheta dicente: cognosce et uide quid facias, monitus inquam erat eo quod Syriae regis pueris deberetur gratiae caelestis auxilium, quoniam dixisset: deus montium deus Istrahel et non deus Baal. propter hoc inquit obtinuerunt pro nobis. et ideo inquit si non plene obtinuerimus eos, in locum Syriae regis satrapas constitue, ut uirtutem illis et potentiam regis auferret.

denique primo congressu uicit, ut fugaret hostem, secundo uicit, quando captum imperio suo reddidit. qua causa uincendi eius euidens resultauit oraculum dicente uno ex filiis prophetarum ad proximum suum: occide me. et noluit homo occidere eum. et dixit: eo quod non oboedisti uerbo domini, ecce tu recedis a me, et interficiet te leo. et recessit ab eo, et inuenit eum leo et interfecit eum. et post hoc alius propheta adstitit ante regem Israhel et dixit ad eum: haec dicit dominus: quoniam dimisisti tu uirum exterminationis de manu tua, ecce anima tua pro anima illius et populus tuus pro populo illius.

Sections 73 to 73

liquet igitur his oraculis quod dominus etiam circa indignos promissa sua seruet, sed impios aut stultitia sua opprimi aut alia praeuaricatione damnari, etiamsi primae praeuaricationis laqueos euaserint. sed oportet nos taliter agere, ut digni bono opere omnipotentis dei promissa accipere mereamur.

Source. Latin text from the Corpus Scriptorum Ecclesiasticorum Latinorum (CSEL) collection of the Open Greek and Latin project (digital edition of ***Sanctii Ambrosii Opera*** edited by Karl Schenkl (Prague, Vienna, Leipzig, F. Tempsky, G. Freytag: 1897) Corpus scriptorum ecclesiasticorum Latinorum 32.2), encoded in EpiDoc TEI XML. Digitised and corrected by the Open Greek and Latin team (University of Leipzig and partners); the text is taken from the printed edition by OCR with correction, so some errors may remain. SermonIndex has only divided it into short sections for reading; the critical notes, margin notes and apparatus of the printed edition are not shown here but are kept in the XML download.

Licence. Creative Commons Attribution-ShareAlike 4.0 International (CC BY-SA 4.0). You may share and adapt this text if you credit the Open Greek and Latin project and release your version under the same licence.